



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis qui ex ecclesiastico ordine, aut venantur, aut cum accipitribus
iocantur. ccxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

contemptores, & Ecclesiasticæ sanctitatis profanatores
propriæ gradus amissione multentur: quia non possunt
simul Deo & seculo militare.

*Vt omnes clerici magis confidant in defensione Dei,
quàm in armis. Cap. CCXII.*

Ex cõcil. Aureliane. ca. 9. **O**Mnimodis dicendum est, presbyteris & diaconibus
ut arma non portent, sed magis confidant in defen-
sione Dei, quàm in armis.

*De illis qui ex ecclesiastico ordine, aut venantur, aut
cum accipitribus iocantur. Cap. CCXIII.*

Ex cõcil. Meldensi. cap. 8. **E**Piscopum, presbyterum, aut diaconem canes ad venan-
dum, aut accipitres, aut huiusmodi res habere non
cet. Quod si quis talium personarum in hac voluntate
pius detectus fuerit, si episcopus est, tribus mensibus
communione suspendat, presbyter duobus, diaconus
ab omni officio & communione suspendantur.

*De seruis Dei, ut omnes syluaticæ vagationes cum canibus
accipitribus interdiciantur. Cap. CCXIII.*

Ex cõcil. Aureliane. cap. 3. **O**MNIBVS seruis Dei venationes & syluaticas
vagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones
habeant, interdiciamus.

*Vt clericos discordantes episcopus sua potestate
reconciliet. Cap. CCXV.*

Ex cõcil. Africano. ca. 59. **D**iscordantes clericos episcopus vel ratione, vel po-
testate ad concordiam trahat, inobediētes, synodo
per audientiam damnet.

*De clericis qui proruperint in mutuam cædem.
Cap. CCXVI.*

Ex cõcil. Hilerdē. cap. 6. **S**I qui clerici in mutuam cædem proruperint, prout
ignitas officiorum in tali excessu contumeliam per-
tulit, à pontifice districtius vindicetur.

De eadem re. Cap. CCXVII.

Ex eodē. cap. 7. **F**Rater in fratrem, si ausus fuerit manum mittere,
legitimam disciplinam accipiat.